

vix ulli post Linnæi tempora notam, quam bis tantum ipse legi, in summis alpium regionibus *k*). Itaque *S. majalis*, Wahlenb. Fl. L., *S. arbuscula* ibidem, nec non *S. phyllicifolia*, Fl. Sv. ex parte, unam speciem, quam *phyllicifoliam* appellare si libet, haud recuso, mihi quidem constituere videntur. At *S. phyllicifoliam*, Wahlenb. Fl. L.; *Salicem nigricantem* ibid., formam, quam S. Caprææ approximari dixit; *S. phyllicifoliam* β . Fl. Svec. et *S. nigricantem* ibidem, alteram Speciem quodammodo ambire censo; quo etiam *Salix illa Rudbeckiana*, (Lin. Fl. L. Tab. 8. fig. a.) omnino pertinere videtur. Rem vero ea, qua nunc dixi, ratione se habere, nullis quoque argumentis demonstrare, quam ipsa natura, cujus testimonia tuto citare audeo; quia innumerabiles formas, specimina, et omnes, quidquid est Salicum, variationes, tredecim fere annis, e Svecia boreali collectas, diligenter examinavi et disquisivi, ex quibus didici, non plus, quam duas earum, quas supra memoravi, formarum species creari æquo animo posse.

k) *Sal. arbuscula minima* dignoscitur 1:mo Amentis omnibus etiam masculis serotinis et foliaceis. 2:do squamis obovatis l. in masculis ferme subrotundis; ciliatis tantum. 3:tio foliis minimis, et post exsiccationem costatis! rigidis. Ab hac *S. arbuscula* vulgo, differt: amentis, in primis masculis, præcocibus! Squamis lanceolatis pilosis, amentis duplo majoribus. Folia lævia tantum nec elevato costata.